

1577

*De Persarum
Regum suc-
cessionis nar-
ratio.*

Ejus belli causæ successusque etsi a præsentī, quod molimur opere aliena fortasse videantur, attamen quædam in arctum cogere non abs re fore existimo, ut a quibus ab expeditione in rempublicam christianam averſus Amurathes fuerit, quibus viribus distineri ac retardari illius conatus potuerint, pateſcat. Tamaso Persarum Regi superiore anno, majore mense vita functo, undecim filii superstites fuere, ex quibus octo ob ætatem ad regnum capessendum nequaquam idoneis, reliqui, Mehemetes nempe, Ismaheles, atque Haiderus, in spem regni successionis sese extulerant. Ismaheles, feroci atque elato animo, ad magnas res agendas nato; licet Mehemeti, ætate secundo, regnum Tamafus testamento reliquerat; statim, patre humanis sublato, a proceribus Arfaciam præcipuam regni urbem vocatus fuerat. Interim in aula regia tumultu excitato, Tamasi filia, ex Albanorum Principis sorore progenita, ad quam una cum regiis consiliariis testamenti exequendi munus spectabat, nunc Haideri fratris precibus fatigata, nonnullorumque suasionibus illecta eidem suffragari, nunc religione tacta in Ismahelem, facinus abominari. Diu in ancipiti versata, tandem callidum consilium amplexatur. Re cum suis communicata, juvenem ambitione æstuantem fraudulenter in regio solio locat: qui inter plebis plausus dum omnem auctoritatem ac potentiam ad se trahere posse arbitratur, se deceptum extemplo persensit; amicorumque neminem conspicatus, causas rei exquirat. Zaliani dolum nescientis opera, Regem se acclamatum fuisse comperit; cumque vires illi ad novam retinendam dignitatem deessent, metu in fugam actus, regni fastigio deturbatus, interitum evadere nequit. Truncatum sororis ac procerum consensu caput plebi ostentatur; quæ horifico spectaculo commota, ac furore percita in auctores facinoris, ducem nata, sæviisset; ni Ismaheles, dum hæc fiunt, superveniens, Rex consalutatus fuisset. Is Ottomanorum institutis ac religioni addictus, quam animo imbibitam, ne aditum sibi ad regnum præcluderet, ad tempus dissimulaverat, principatus fundamenta octo parvulorum fratrum nece jecit. Haideri amicos persequutus, novo edicto subjectos ab Hali Persarum propheta ad Abubaci atque Osmani, quos Turcæ sequuntur, cultum transire jubet. Inde graves motus in Perside

sub-